



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||  
COMPREHENSA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

IX. De vtilitate vel etiam necessitate celebrandorum Conciliorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

## CAPUT VIII.

*De Concilio nec manifestè probato, nec mani-  
festè reprobato.*

**C**ENERALE nec approbatum, nec reprobatum, videtur esse Concilium PISANVM, quod anno M. CD. IX. depositum Gregorium XII. & Benedictum XIII. & elegit Alexandrum V. siquidem S. Antoninus 3. part. tit. 22. cap. 5. §. 2. & 3. summæ historialis, asserit, conciliabulum illegitimum, non verum Ecclesiæ Concilium fuisse, & euentus idem ostendisse videtur; coactum enim Concilium fuit ad schisma tollendum, & tamen illud non sustulit, sed auxit. Si autem sine dubio fuisse reprobatum, etiam sine dubio Alexander VI. se nō sextum, sed quintum appellasset. ADD E, quod est fermè communis opinio, Alexandrum, & qui ei successit, Ioannem fuisse veros Pontifices. At certè ex tribus, qui tum se pro Pontificibus gererant, isti maximè ut veri Pontifices colebantur. Hæc de generalibus.

De Conciliis particularibus vide tomos Conciliorum, & Gratiani decretum dist. 16. can. sexta Synodus, & dist. 20. canone de libellis. Item Chronicon Onuphrij, & secundum librum Chronographiæ Genebrardi.

## CAPUT IX.

*De utilitate vel etiam necessitate celebra-  
dorum Conciliorum.*

**H**I s igitur præmissis, explicanda sunt ea quibus legitima Concilia constant; ea verò ad quatuor causas reduci possunt, ad finem, efficientem, materiam, & formam Conciliorum. Ac ut à fine, quæ prima causarum est, incipiamus, Primum exponendæ breuiter erunt causæ ob quas Concilia celebrari solent, deinde ex iis iudicandum erit, vtrum Conciliorum congregatio sit necessaria, an solum utilis. Porrò causæ præcipuae, ob quas Concilia celebrantur, sex numerari solent.

PRIMA

**P R I M A** cauſſa eſt hæresiſ noua, id eſt, nunquam ante a iudicata, propter quam cauſſam coacta ſunt prima ſeptem generalia Concilia. Semper enim Eccleſia tanti fecit periculum nouarum hæreſum, vt non putauerit aliter poſſe reſiſti, quām ſi omnes aut certe permuli principes Eccleſiarum coniunctis viribus, & quaſi agmine facto irruerent in hostes fidei.

**S E C U N D A** eſt ſchisma inter Romanos Pontifices. hac e- nim de cauſſa celebratum eſt Concilium tempore Cornelij. Item aliud tempore Damasi, & rurſum alia temporibus Symmachii, Innocentij II. & Alexandri III. & Pisanum, atque Constantiense temporibus Gregorij XII. & Benedicti XIII. nullum enim eſt potentius remedium, Concilio, vt ſapissi- mè probatum eſt.

**T E R T I A** eſt, reſiſtentia communi hosti totius Eccleſiae. hoc modo coacta ſunt Concilia ab Urbano II. Calixto II. Eugenio III. aliisque pontificibus pro bello contra Sarace- nos. Item ad deponendum Imperatorē celebrata ſunt Con- cilia à Gregorio III. contra Leonem III. Iconomachum à Gregorio VII. contra Henricum IV. ab Innocentio IV. con- tra Fridericum II.

**Q V A R T A** cauſſa eſt ſuſpicio hæreſiſ in Romano Ponti- fice, ſi forte accideret, vel etiam tyrannis incorrigibilis; tunc enim deberet congregari generale Concilium, vel ad depo- nendum Pontificem, ſi in moribus videretur incorrigibilis: nam vt dicitur in VIII. Synodo act. vlt. can. 21. debent generalia Concilia cognoscere controuerſias circa Romanum Pon- tificem exortas, non tamen audacter in eam ſententiam fer- re. ob iſtam cauſſam legimus celebratum Concilium Si- nuenianum in cauſſa S. Marcellini, & Romana Concilia in cauſſa Damasi. Sixti III. & Symmachii, & Leonis III. & IV. quorum nullus à Concilio damnatus fuit, ſed Marcellinus ſibi ipſe coram Concilio pœnitentiam iniunxit, reliquise purgauerunt. Vide Platinam, & tomos Conciliorum.

**Q V I N T A** cauſſa eſt, dubitatio de electione Romani Pontificis. Si enim Cardinales non poſſent, aut non vellent Pontificem creare, aut certe omnes ſimul perirent, aut a- liunde fieret verè dubium, ad quos pertineret eiusmodi elec- tio,

Etio ad Concilium generale spectaret decernere de electione futuri Pontificis, quanquam non est verisimile id aliquando euenturum.

**S E X T A** est, reformatio generalis abusuum & vitiorum, quae in Ecclesiam irrepunt; tametsi enim solus Pontifex potest leges toti Ecclesiæ præscribere, tamen longè suauius res agitur cum approbante Concilio generali summus Pontifex eiusmodi leges præstibit. Hinc videmus omnia ferè generalia Concilia canones edidisse de reformatione. Vide Ioannem de Turrecrematalib. 3. cap. 9. & 10.

## C A P V T X.

*Concilia generalia utilia esse, & suo quodam modo necessaria, non tamen absolute & simpliciter.*

**E**X his caussis, ob quæ Concilia congregari diximus, facile erit iudicare, sintne modò utilia, an etiam planè necessaria Concilia ad Ecclesiæ cōseruationem. Et quidem de generalibus Conciliis ita statuo, eiusmodi Conciliorum conuocationes utilissimas, & suo quodam modo necessarias, non tamen absolute, & simpliciter necessarias esse. Id quod mihi facile persuadeo. Primum ex eo, quod primis trecentis annis caruie Ecclesia Conciliis generalibus, nec tamen perire. Quemadmodum enim annis illis CCC. Ecclesia sine Conciliis generalibus incolumis mansit, sic etiam potuisse sine dubio aliis CCC. & rursum aliis D C. atque aliis mille permanere, nam non defuerunt illo etiam tempore multæ hæreses, multa schismata, multa vitia, atque abusus, quæ tamen omnia Ecclesiam Catholicam, tametsi Conciliorum generalium præsidio destitutam, opprimere non potuerunt.

Denique accedit etiam illud, quod nulla ex enumeratis caussis generale Concilium absolute necessarium esse convincit. Nam primum emendatio vitiorum & abusuum, (vt à postrema caufsa incipiamus) fieri potest satis commodè, tum per leges summi Pontificis, tum per Conciliorum prouincialium